

V

Ad E. mos Patres Cardinales et ad Consultores Pontificii Consilii Codici Iuris Canonici recognoscendo. *

Venerabiles Fratres ac dilecti filii.

Singulari cum animi studio et gaudio vos, Sodales et Consultores Consilii Codici Iuris Canonici recognoscendo, salutamus in hisce Aedibus Vaticanis, scilicet prope sepulcrum Sancti Petri, in quo fundata est Ecclesia. Huius aedificationi et vitae vos servitis operamque praestatis.

Ecclesia, cuius mysterium a Concilio Oecumenico Vaticano Secundo in pleniore luce est collocatum, cum ex Conditoris sui voluntate sociale existat perfectumque Corpus,¹ est necessario visibilis atque adeo legibus regatur oportet. Haec divina voluntas nullo modo officit iuri naturali, ex quo homo est socialis et in familiam et publicam rem inse-ritur; quin immo ea cum hoc iure optime congruit.

Haec autem a Deo instituta societas, Ecclesiam dicimus, ad aeternam salutem ut ad finem suum dirigitur; sunt quidem eius filii etiam cives terrae, tamen, non habent hic manentem civitatem sed futuram inquirunt.² Itaque ius canonicum, quod, e natura sociali Ecclesiae peti- tum, in potestate iurisdictionis, quam Christus Hierarchiae tribuit, nititur, omnino in animorum curationem contendit, ut homines praesidio quoque nutuque legum veritatis et gratiae Christi sint compotes ac sancte, pie, fideliter vivant, crescant, moriantur;³ scilicet ad hunc cel- sissimum finem spectat assequendum per Ecclesiam, quam ut rectis institutis ac normis componat ac dirigat, proxime ad ipsum ius canoni- cum pertinet.

Notum est, sed iuvat id in memoriam revocare, a iure divino manare quaedam elementa constitutiva Ecclesiae, quae est societas inaequalis, nempe primatum Romani Pontificis, episcopatum, ac deinde presbyte- ratum, diaconatum. Etiam laici sunt ex hac parte recensendi, qui tamen regendi carent facultate. Ex iure vero humano alia oriuntur ele- menta constitutiva, cuius generis sunt patriarchae, metropolitae, paro- chi, religiosi.

* Die 20 mensis novembris a. 1965.

¹ Litt. Encycl. *Mystici Corporis Pii XII*; A. A. 8. XXXV (1943) p. 226.

² Ofr, *Hebr.* 13, 14.

³ Cfr. Alloc. Pii XII, die 17 oct. a. 1953; A. A. 8. XLV (1953) p. 688.

Ius ecclesiasticum, quod est ius humanum « positivum », Apostoli exercuerunt et post eos ipsorum successores; sine intermissione hi eiusmodi potestate fruuntur. Hierarchia scilicet facultate pollet et officio devincitur Ecclesiam eiusque membra moderandi more vigilum pastorum, ac quidem potestate regiminis, leges et iudicia ferendo eaque praestando, quae executionem respiciunt, potestate magisterii, populum Dei cum auctoritate docendo, potestate ordinis, divinae gratiae auxilia et subsidia administrando.

Ii autem, qui Hierarchiae sunt subiecti, ex conscientiae officio legibus debent obtemperare secundum illud : *qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.*⁴ Iuris igitur praecepta voluntatem Christi, cui ut Domino sumus subiecti, certe manifestant.

Neque est, cur quidam, libertatem plus aequo extollentes, in quam *vocati simus/* eam legi adversari dicant, Apostoli Pauli doctrinam minus recte in medium proferentes. Sed est animadvertendum oboedientiam libertatem non coangustare, sed perficere, operositati addere incrementa, personam quodammodo amplificare; inoboedientiam vero vires dissipare et hominem reddere servum suarum cupiditatum.

Neque iis est assentiendum qui ius canonicum detrectant asserentes *litteram occidere, Spiritum autem vivificare;*⁶ eam videlicet tantum externum quoddam ac deforme obsequium erga leges inducere. Quamvis affirmari debeat, litteram numquam adversari debere spiritui, tamen lex quaelibet indiget littera, id est expositione scripta eaque perspicua ; cuius rei testimonium praeclarissimum in Codice Iuris Canonici invenitur.

Sunt deinde qui distinguant inter Ecclesiam, quam « iuridicam » vel « a muneribus » appellant, et Ecclesiam, cui nomen « caritatis » adiciunt, asseverantes caritatis praeceptum omnium summum esse primasque partes ei tribui oportere, mala autem, quibus Ecclesia vexetur, ex «iuridismo» illo, uti vocant, esse exorta. Attamen, quemadmodum anima a corpore seiungi nequit, quin mors subsequatur, Ecclesia, quam a « caritate » nuncupant, sine Ecclesia « iuridica » existere nequit. Non licet ignorare Ecclesiam, ut initio diximus, ex Dei voluntate esse societatem visibilem omnibus cum institutis ad exteriorem moderationem pertinentibus; Christum Apostolis eorumque successoribus contulisse potestatem iurisdictionis; de qua re Evangelium nos certiores reddit,

* *Luc. 10, 16.*

" *Cfr. Gal. 5, 13.*

⁶ *Cfr. 2 Cor. 3, 6.*

ubi Dominus Apostolos ita affatur: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.*⁷ **Paulus vero Apostolus, praesertim in prima Epistula ad Corinthios, hoc doctrinae caput aperte ac fuse explanat.**

Multo minus consentire quis potest cum iis qui putent in Ecclesia non esse Hierarchiam, sed tantummodo « ministerium », praecipue verbi ; scilicet inter Christum et communitatem fidelium nihil esse interponendum, quod eos separet, aut iis qui defendere velint naturam Ecclesiae adversari naturae iuris, esse videlicet tantum « ius sacramentale », quo administratio Sacramentorum regatur, Hierarchiam vero solum esse prout ad illorum administrationem sit necessaria. Quibus commentis ius « positivum » ipsum negatur.

Haec, ut probe novistis, omnino repugnant evangelico nuntio, quod est historia Christi, qui eligit, instituit, mittit Apostolos, id est eos, qui Hierarchiam efficiunt, praeditos muneribus peculiaribus, ut cum auctoritate oves sibi creditas pascant, nempe triplici cum potestate, quam supra diximus, easque ad salutem aeternam perducant.

Est enim prae nobis ferendum non esse potestatem nisi a Deo,⁸ omnesque Ecclesiae potestates a Christo manare ex eoque pendere, ita ut sacer minister sit aut instrumentum tantum potestatis ordinis seu sacramentalis aut causa secunda et « subordinata » potestatis iurisdictionis ; atque adeo nihil de Christo Domino detrahi. Praeterea, licet Ecclesia sit, ut antea dictum est, societas inaequalis eo quod potestates diverso ordine sunt dispositae, tamen quod ad sanctitatem et salutem aeternam attinet adipiscendam, omnes, qui christiano nomine censentur, prorsus pares sunt.

Quemadmodum notum est, ius canonicum, quod e iure divino naturali, e Sacra Scriptura, Traditione, Decretalibus aliisque fontibus hauritur, progressionem quadam est explicatum. Est tamen hac in re sedulo discernendum; siquidem *perquam solido inveniuntur consociata foedere theologia et ius canonicum/ primaria quaedam, scilicet quae sunt iuris divini constitutivi, nullo modo queunt mutari. Ceterum tra-*

⁷ *Matth.* 28, 18-20.

⁸ *Cfr. Rom.* 13, 1.

⁹ *Cfr. Litt. Encycl. Mystici Corporis cit., A. A. 8. XXXV (1943) p. 244 et All. Pii XII d. 29 aprilis a. 1952, A. A. S. XLIV (1952) p. 376.*

ditionibus fideliter, quatenus fieri potest, adhaeretur, quod proprium esse videtur institutorum, quae valde sunt diuturna.

Tamen cum ius eo pertineat, ut vitam Ecclesiae membrorum recte componat et ad finem conducat, ac quidem singulas animas totamque communitatem, mutuo nexu in re quoque spirituali inter se coniunctas, cum omne corpus vivens continenter immutetur et Ecclesia cum civili societate, multo maioribus conversionibus ac vicissitudinibus obnoxia, convivat, liquet ius canonicum gradus et processus quosdam habuisse et habere; qui non solum utiles sed etiam necessarii sunt. Loquimur videlicet de iure « positivo » humano.

Cum igitur praeterita respicimus tempora, mediam et recentiore aetate, leges plurimas latas esse videmus. Hae tamen haud facile consuli potuerunt et numero ita excreverunt, ut earum multitudine paene obruerentur homines. Hac de causa Sanctus Pius X provido consilio Codicem Iuris Canonici conficere statuit, qui per hos quinquaginta fere annos Ecclesiae usu comprobatus maximas ei attulit utilitates.

Nunc admodum mutatis rerum condicionibus — cursus enim vitae celerius ferri videtur — ius canonicum, prudentia adhibita, est recognoscendum : scilicet accommodari debet novo mentis habitui, Concilii Oecumenici Vaticani Secundi proprio, ex quo curae pastorali plurimum tribuitur, et novis necessitatibus populi Dei.

Quodsi ergo Codex Iuris Canonici « vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet)) (can. 6), nunc tamen quaedam novanda esse videntur. Ex quo patefit, quam grave sit munus et onus huius vestri Consilii. Brevi etiam tempore perficienda erunt, quae prius per hominum aetates patrari consueverant. Sed expeditior est via, siquidem et Codex Iuris Canonici veluti ducis munere fungitur et Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum quasi lineamenta praebet operis novi, ita ut multa tantummodo fusius et accuratius sint definienda ac statuenda.

Peculiaris vero hic existit quaestio eaque gravis, eo quod duplex est Codex Iuris Canonici, pro Ecclesia Latina et Orientali, videlicet num conveniat communem et fundamentalem condi Codicem, ius constitutum Ecclesiae continentem.

Consilium vestrum, cui Consultores adiutricem operam praebent, universam Ecclesiam aliquo modo repraesentat, sive quod ad regiones sive quod ad peculiarem peritiam in variis disciplinis et quaestionibus attinet, etiam in ipso usu et consuetudine vitae pastoralis. Hac inducti sollicitudine numerum sodalium nuperrime non leviter auximus.

Promptis igitur paratisque animis tanto vos dedite operi, ut Eccle-

sia hac aetate, qua homines singulari cum incitatione et alacritate moventur, aptis opportunisque legibus viam iis possit ostendere ad verum bonum veramque pacem.

Ita eritis aedificatores Ecclesiae, quae his temporibus quam maxime impellitur, ut felicibus augetur incrementis.

Deum autem, *Patrem luminum, a quo omne donum perfectum descendit,*¹⁰ impense deprecamur, ut vobis propitius adsit vosque dirigat et munerum suorum copia impleat. Quarum rerum auspex est Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, volentes impertimus.

VI

Ad Excellentissimum Virum Vidonem Bacci di Capaci Grave de Peralta, Honduriensis Reipublicae cum auctoritate Legatum, qui Summo Pontifici Litteras mandati muneris fidem facientes tradidit. *

Señor Embajador :

Gracias vivísimas por las amables palabras que Nos habéis dirigido al presentarnos las Cartas Credenciales que os acreditan como Embajador Extraordinario y Plenipotenciario de la República de Honduras ante la Santa Sede.

Habéis querido bondadosamente haceros eco de Nuestros recientes viajes que, bien sabéis, han sido inspirados en sentimientos de paz y amor para todos los pueblos. ¡ Ojalá que los hombres todos, las naciones, reciban este Nuestro mensaje, que es mensaje del Evangelio de Jesucristo, Príncipe de la paz ! Que esta paz brille abundante sobre vuestra noble Tierra para que, en la concordia de todos sus ciudadanos y en la sabia aplicación de los principios cristianos de la justicia social, camine siempre hacia su mayor prosperidad y grandeza.

No podemos ocultar en estos momentos el consuelo que Nos produce la visión del católico pueblo hondureño, laborioso, activo e inteligente : quiera el Señor que, en la santidad del hogar y el respeto sacro del instituto familiar según la ley de Cristo, en la difusión de la enseñanza y formación religiosa, principalmente en la niñez y juventud, su vida se desarrolle con frutos copiosos especialmente en el campo vocacional.

Señor Embajador : La alegría que habéis manifestado por vuestra

¹⁰ Cfr. *lac.* 1, 17.

* Die 22 mensis novembris a. 1965.